~~Aliena~~ Ubbo

Nicolai Lubomirscii ~~1889. XII. 84.~~

Carmen ad Georgium Cardinalem Radivillum

/: Propempticon reel. cracov. .... :/

1 f

~~Sig: 3. 1593.~~

~~Poesya pol. 4722. b.~~

PROPEMPTICON ECCLESIÆ CRACOVIENSIS,

ILLVSTRISS: ET REVERENDIS: PRINCIPI DN. D. GEORGIO CARDINALI RADIVIL, DVCI IN OLICA ET Niesvviez, &c. nec non Episcopatus Cracouieñ. Ducatusq; Seuerieñ. perpetuo Administratori, in ITALIAM eunti.

SIT mihi cœlicolæ vestro fas munere, luctum
Vrbis Grachiacæ, Latijs euoluere plectris:
Cum pius, Ausonij fæcundas Tybridis oras,
Dux Radiuilus adit; plus curaturus ouile
Absens, atq; gregis tanti memor. ô ego quantum
Ausus onus portare humeris! tamen optime parce
Parce precor Præsul: sine me hoc sudare parumper,
Puluere. tempus erit, cum sacra tempora lauro
Velatus, tua gesta canam, maioreq; plectro.
Ipse ego Castalijs scribam tua nomina saxis,

Inter

Inter magnanimos Heroas, & inter auita
Stemmata Litauidum, magniq; Iagielonis arma.
Nunc quæ Tyro rudis modulor, lege fronte serena;
Dum maiora paro, tensasq; exerceo chordas.
Nupèr enim excelsi liquisti vt saxa Vaueli,
Cracopolis sic orsa loqui: tum pectora pugnis
Tundebat, lachrymas verba inter singula miscens.
Dij, quibus est curæ certo mortalia cursu
Voluere, & humanæ producere tempora vitæ,
Ac casus prohibete omnes; si vestra per aras
Numina solennes sacro placauimus igni,
Pestiferas prohibete minas, mulcete liquentem
Aêra, & oppositas consternite vellere cautes.
En meus Ausonias iam pergit visere gentes
Antistes, Venetumq; sinus, vrbemq; Quiritum.
Quis precor est vestro Latias, qui venit ad oras
Dignior auxilio? nisi me meus fallit inanis,
Hic vir hic est, tetras sperem quo vindice laruas,
Lethiferæ hæreseos Lechicis depellere regnis:
Hic est STANSLAI verus succesor in oris
Sarmaticis, dignusq; pedo, dignusq; decore
Præsuleo, & tenerum Christi qui seruet ouile.
Ergo per vndosos fluctus HIACINCTE soluta
Veste vehas: Cantine pedes præcede, viamq;
Sterne Radivilo: tu cuncta pericula diue
Pellito, Grachiacas cuius tegit infula turres,
Ad cuius tumulum posito diademate Reges
Sæpé cadunt, cuius cuncti sternuntur ad Aras.

Lechia-

Lechiadæ, & quos frigidior benè continet Arctos:
Tu diue, ô tu cuncta inquam depelle pericla,
Dum meus Antiſtes Latij contendit ad vndas
Tybridis, & mæſtam me (heu perfida fata) relinquit.
Vos quoq́. ſi merui, Latiæ quêis vota curules
Atq. Quirinales trabeæ, fortisq. Camılli
Defenſata manu Capitoli ingentia ſaxa,
Sponte ferunt, precibusq́. onerant, & thuris acera
Libant,ac feſtis replent altaria donis;
Porgite diuini venienti plena fauoris
Brachia,& illæſum Pylios ſeruate per annos,
Atq́. citó ad vidui curam dimittite ouilis,
Ne lupus inſidiis miſeras deterreat agnas.
Quin etiam mihi fas ſuperi ſit munere veſtro,
Quæ quondam ignaro coluit rudis ore vetuſtas
Numina mæſtifico fletu & clamore ciere.
Tu pater Æolio frangis qui carcere ventos,
Quiq. hyemes gelido permiſta grandine cælo
Spergere, qui laxas noſti dare iuſſus habenas,
Arctius obiecto Borean, Eurumq. Notumq.
Monte premas: ſoli Zephyro ſit copia cæli,
Et ſolus blandis afflatibus arua ſerenet:
Ni tamen imbrifera conſurgant nubila ab Alpe,
Obſcuriq. diem tollant cum luce Triones,
Tunc Notus exurgens nubes gelidasq. pruinas
Diſsipet, & toto regnet lux alma ſereno.
Et tu quem magnum credit Chaldæus Oſyrim
Phœbe, tuum ad Lybiæ transfer dumeta calorem,

Blando Præsuleam perstringens lumine frontem,
Et teneris recreans radiis, dum compita transit.
At vos saxosis vndas qui voluitis vrnis
Audaces fluuii, leni blandite susurro,
Nec nimio aduentum tanti terrete meatu
Præsulis. in primis Pharium qui flexibus amnem
Septenis imitaris atrox, & Teutona regna
Transgressus, Geticum cursu contendis in æquor:
Tu quoq. Tybri faue: & tu qui stellantia lambis
Sydera, Phæbęi flammis memorande nepotis.
Et cum veridici remis ad mænia Marci
Perget, visurus turresq. amplumq. Senatum:
Parce nec informes profer de gurgite Phocas,
Æquoraq. horribili mulce Neptune tridente.
Etiam cornipedum hinnitus glomerantur equorum,
Ad solis radios diuersum fulgur ab auro
Emicat, & teretes vibrantur in áëre cristæ:
Iam mea multiplici velluntur pectora morsu.
Iusta queror. fugit ecce alium Radivilus in orbem,
Vistuleisq. excedit agris. hoc sed tamen ægram
Solabor mentem, pauco quod tempore rursus
Tam claros vultus, & pectora chara licebit
Cernere, & in veteri reducem gaudere Vauelo.
Sed quid ego hæc memorans, vno solamine tantos
(O mentem incertam) spero lenire dolores?
Nulla dies lachrymis, fletu nox nulla vacabit.
Non sic Dulychium, cum Dorica castra petebat,
Penelopea virum doluit, Circeq. venenis

Nobilis, atq. illa melior diuina Calypso:
Nec sic Æaciden Chiron: Colchosuè petentem
Iaionem Inachidæ lachrymis fleuere profusis:
Vt mea mirifico quassantur corda dolore,
Vtq. ego: sed prohibent lachrymæ depectore lapsæ
Discessu Radivile tuo, vetat & dolor ipse.
Quod lætum mihi tempus erit? quis cuncta pauenti
Nunciet? an facili te prætermiserit aura
Morauicæ rabies pestis? num Cymbrica in altis
Alpibus, horrendam glaciem bruma asperet? an pax,
Exulibus quæ nulla placet, tibi tuta viarum
Compita, & vmbriferos pandat Saturnia saltus?
An ferus vndosos demulceat Adria fluctus?
Grande tuis rarumq. damus Pollona iuuentus
Depositum manibus, saluum volo reddite nobis.
Cur tandem hos merui questus? cur tanta pericla
(Quæ me plura manent) nostrum caput vndiq. quassant?
En lupus insidias explorat ouilia circum:
Et cum orbum pastore gregem, viduasq. repentè
Cernet oues, subito tætris infecta venenis
Pabula præbebit, secumq. inducet Auerno.
En quod nunc metuo, pestis truculentior vrbi
Imminet, incautos turmatim ad Tartara manes
Deturbans, & falce metens dat corpora letho.
I tamen, Hesperias ô fælix hospes in oras:
Discessus Radivile tuos longis ego votis
Persequar: ipse mihi magnus complaudet Olympus,
Pectore cum fido cælum terramq. mouebo.

Ipse Quirinalis Rector iustissime sedis,
Qui triplex diadema geris, cui summa potestas
Pandere cœlestis, & claudere mænia portæ,
Excipe magnanimo venientem pectore nostrum
Pastorem egregium, Lechicus cui ductor opimas
Iamdudum donauit opes, cui Gracchica frontem
Infula, STANSLAI sacro conspersa cruore
Ambit, & audaces deterret ouilibus Hydros.
Huncq. manu placida per limina festa, sacrosq.
Duc portus, vrbesq. tuas quæ vel tua seruant
Iura, & sceptra timent: vel nomina magna verentur,
Et te curuato venerantur poplite euntem.
Omnia te ductore sciat, te præside noscat
Lucidus Andinas vbi Mincius irrigat ædes,
Vrbs & Virgilio celeberrima vate superbit:
Quæq. Vidæ patria est: & quæ genuêre Catullum
Mænia: Musæum pulcher quod Larius ambit.
Cærulus & mediam Tybris cur diuidit vrbem:
Cur nobis consanguineas lauat Adria gentes.
Duc & ad æquoreos fluctus, turresq́. solutæ
Parthenopes, nostriq́. ad mænia lata Monarchæ,
Vsq́. & in algentis rigidum caput Appænini.
Nec nouus hospes erit: dudum his iudauit in oris,
Factus Cardinei splendorq́. decusq́. Senatus:
Iam sed & Istuleum pastor tutatur ouile,
Præsuleum rubeo iungens insigne galero.
Ergò erit illa dies, qua tu memor optime nostri
Rursus ab Italia patrias remeabis ad oras:

Atq́.

Atq. tuas complexus oues, ſacra munera patris
Romani pandes, noſtræ quêis crimina culpæ
Eluere, & læto poſsimus ad æthera plauſu
Scandere: ceu volucris liquidum ſecat áèra penna.
Aſt ego vincendis quæ & quanta pericla ſubiui
Hæreſibus, querar, & quod oues mihi pallida peſtis
Abſtulerit, quotuè hoſtis atrox ſubuerterit aras.
Sic effata nigro vultus obnubit amictu
Ora rigans lachrymis, panſis gemebunda capillis,
Mæſta tuos Lechico aduentus operitur in orbe.

NICOLAVS LVBOMIRSKI
humillimé dedicat.